DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE CANTHARIDIBUS.

QUAM

ANNUENTE DEO OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris

JOHANNIS JACOBI RAU,

MEDICINÆ DOCTORIS EJUSQUE ET ANATOMIÆ ET CHIRURGIÆ PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*, & *Nobilissimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS WHITAKER, *Anglus.*

Ad diem 15. *Julii.* 1718. *horâ locoque solitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,

Ex Officina P. BOUTESTENIANA.

VIRIS CLARISSIMIS ET SPECTATISSIMIS.

D. HERMANNO BOERHAVE,

IN ACADEMIA LUG. BATAVORUM; MEDICINÆ, BOTANICES, ET CHEMIÆ, PROFESSORI ORDINARIO; DE SCIENTIA MEDICA EGREGIE MERITO; PRÆCEPTORI SUO ET PROMOTORI, LONGE CELEBERRIMO, SOLERTISSIMO.

D. THOMÆ NETTLETON, M. D.

IN ARTE SUA ULTRA FIDEM FELICI, MORUM PROBITATE ET INGENIO FACILI, OMNI CULTU PROSEQUENDO.

D. JOHANNI PELHAM,

GENTIS SUÆ ILLUSTRISSIMÆ FILIO DIGNISSIMO, MORIBUS INGENUIS ET ERUDITIONE MULTIPLICI, AMICO SUO, PLURIMUM COLENDO.

Theses hasce Inaugurales.

D. D. D.

GULIELMUS WHITAKER.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS. DE CANTHARIDIBUS

§. 1.

Cantharides, quas Latini Scarabæos, nostrates vulgo Muscas Hispanicas, appellant; sunt insecta volatilia, in diversis terrarum locis, reperta, in singulis, quoad magnitudinem, figuram, & colorem magis aut minus intensum, variantes; omnes vero gaudent, colore viride aurescenti, vel violaceo Splendenti, odore satis fragranti, & corpore oblongo. In Hispania, Gallia, Italia, & Germania, passim reperiuntur. Circa Lutetias [1] Parisiorum, Muscæ hæ, ad folia Fraxini, Populi, & Rosæ, ova deponunt, quæ Solari vi maturata, genus vermiculorum Erucis similium, edunt, unde Animalcula hæc ducunt originem. In Pratis & Frumentis etiam invenitur species, quæ mediam sortita est magnitudinem, luteas in alis transversas lineas habet, districtaque est circa Papillas, ac Blattarum modo præpinguis; cujus genus ab Dioscoride [2] & Galeno [3], omnium pro medicina facienda, pulcherrimum habetur.

1 *Lemery Diction. des drogues.*
2. *Diosc. lib*: 2. *cap.* 54.
3. *Galen*: *de simpl. medic. p.* 312.

§. 2.

Infecta hæc, sic enecant; sumunt vas ficile recens, non picatum cui inditæ sunt vivæ Cautharides; ori vasis obducunt linteum rarum, illo inuerse retento, ut linteum quod his subest, vaporem ab Aceto calido sursum elatum, concipiat; quo peracto quam cito suffocantur. tum demum solis radiis exponuntur, ut exsiccentur. Quæ bene sunt siccatæ, integræ, & calorem natûralem maxime retinent, omnium, pro usu Medicinæ, optimæ censentur.

§. 3.

Harum Anatomica Consideratio, nihil lucis, de modo, aut vi, quâ corpora nostra afficiunt, promittere videtur; qui hanc tamen cupit, consulat Aldrovandum in Lib. de Insectis.

§. 4.

Insecta Hæc, in pulverem quam accuratissime reducta, & Microscopiis objecta; nihil visui notatu dignum, offerunt. si Chemico examini se subjiciant, per Arenæ ignis gradum, dant cito Sales volatilissimos, qui cum Phlegmate, totum Recipiens occupant & in Crystallos abeunt quam pulcherrimas. Continuato paulo eodem ignis gradu, denuo exeunt Oleum, Spiritus, & Sales fixiores intime inter se mixta. Sales volatiles in Phlegmate soluti, sunt penetrantissimi, corrosivi, caustici & alcalini summopere; nam cum Spiritu Vitrioli, Spiritu Nitri &c. fermentationem ineunt quam violentissimam. Oleum cum Spiritu & Salibus fixioribus, mixtum, fœtidissimum, rancidissimum & alcalinum est Summum.

Cantharides hisce principiis orbatæ, omni sua virtute destitui videntur; nam post hæc licet aspectui integræ appareant, si Emplastrum ingrediantur, & cuti apponantur, nullas vesiculas attollere valent.

§. 5.

§. 5.

Ex his liceat colligere, vim illam omnem quâ Cantharides, corpus noſtrum afficiant, hiſce earum Principiis, quæ chemicè extraximus pendere: Unde generales horum proprietates deſignabimus, quatenus experimentis innoteſcunt, & per mutationes, ſi corpori humano applicentur, inde oriundas, recenſebimus.

Si objiciatur, tale ratiocinium non poſſe valere, cum hæcce principia quæ ignis ex Cantharidibus eduxit, minime talia in iis naturaliter exſtitiſſe. facile concedemus, ſales, olea &c ignis ope, alcalina magis provecta, magiſque corroſiva evaſiſſe; at ſi Cantharidum odorem, & Saporem naturalem reſpiciemus, naturam quam maxime alcaleſcentem, indicabunt; & præterea in earum chemico examine, cum parvus ignis gradus adhibitus fuerit, qui principia earum penitus permutare, impar videtur, concludere liceat eas ſua Natura eſſe facillime alcaleſcentes, & ſi per corporis noſtri calorem aliquamdiu foventur, eam indolem poſſe acquirere.

§. 6.

Sales alcalini, quales ſunt hi Cantharidum, ut ſupra oſtendimus, ſua natura attenuant, reſolvunt omnes coagulationes ab acido; movent à centro ſuæ molis quaquaverſum, i.e., Effervescunt cum Acidis, omne viſcidum, glutinoſum & iners, ab his ortum, deſtruunt. Hinc in Morbis lentis, ut in Hydrope, Scorbuto ex acido auſtero, oriundis, in Ictero ab obſtruente glutinoſo acido, in Podagra ab ejuſmodi cauſa, egregii ſunt uſûs. In Morbis Alcalinæ putredinis, ut in Febribus Malignis, Variolis, Morbillis &c. hi Sales in corpus admiſſi, peſſimi evadunt. In his enim & ſimilibus affectibus, ex caloris gradu intenſiori, & humorum circumductione celeriori, fluida omnia evadunt Spiſſiora, Sales corporis acres, erodentes & alcaleſcentes, fiunt; olea Sanguinis eadem patiuntur; cohœſio inter Sales, olea, & terram augetur; difficilis aquoſi cum his permiſtio, ut & horum tenacitas, eveniunt. Fluidis igitur tam acribus

factis, minime mirum est si Cerebri & Cerebelli vasa erodant, deliria excitent & mortem ipsam producant.

Hi Sales igitur, quatenus alcalinam naturam adepti sunt, omnino videntur officere morbis, ad Alcalescentiam tendentibus.

§. 7.

Spiritus, olea & Sales hi donantur præterea quam maxime Stimulanti virtute; nam uti Bellinus observat, nisi dolorem Cantharides excitant, aut vesicæ non producuntur, aut parum aut ferè nihil expurgatur, & nullius sunt utilitatis, Secus cum dolorem pariunt: quod ulterius confirmatur à modo quô in corpus nostrum operantur. 1°. producunt quendum pruritum, hunc excipit calor; tum dolor punctorius, jam pulsus acceleratur, dolor & calor augentur, denique cutis attollitur & vesiculæ assurgunt; post hæc in Urina mingenda ardor & Stranguria sæpe superveniunt. Hac proprietate gaudentes, mirificas permutationes in corpora, Sales, hi Spiritus &c. producere valeant; nam uti patet ex Doctrina Belliniana, debere ab his applicatis, succedere majorem motuum nisum partium, ex quibus omnes membranæ corporis componuntur, expressionem cujuscunque liquidioris fluidi, & derivationem ejus quâ potest, velocitatem Sanguinis augeri, magnamque denique Spirituum absumptionem & dissipationem. Hinc ubi Febris excitanda est, ubi solida fatiscunt, aut pituitosa abundat Materia, ut in Catarrhis, Tussibus Suffocativis, Apoplexiâ pituitosâ, Lethargo, Odontalgiâ à colluvie serosa, Hydrope sine febre, Hydrocephalo, Epilepsiæ quadam specie, ab aquosa materia orta; convulsionibus à Sero caput replenti; In his & similibus affectibus, Cantharides uti Stimulantia Simplicia, egregie profuturæ sunt.

§. 8.

Qua vi aut Lege hi sales alia corpora attrahunt, & sibi uniunt, non

1. *Bellin*: *de Missione. Sang. cap. de Stimulis.*

non penitus eſt perſpectum; at videntur ex experimentis, aquoſas particulas præ reliquis attrahere; uti patet ex eorum Subitanea deliquatione in Aere aperto, & in Vitris etiam, niſi accuratiſſimè ſint clauſa. Si idem operandi modus obtinere poteſt, ubi humoribus corporis permiſcentur hi Sales, peſſimi ſunt vaticinii in Morbis Acutis, cum per Urinam & Sudores, quos Semper promovent Cantharides, optimam fluidorum partem, Scil. liquidiſſimam, elicere poſſunt.

§. 9.

Conſideratis jam harum Muſcarum Principiis chemicis earumque proprietatibus; quibusque denique modis mutationes in corporibus producere valent; de incognitis ipſarum viribus, nobis non eſt aliquid conjicere. At ſi intra hos limites, quorum mentionem fecimus, earum agendi ratio conſiſteret; in iis morbis, quorum meminimus, & ejuſmodi ſolis, convenire poſſe credimus. Quales effectus, ex eo quod revellant, & humores ad extra eliminant, conſecuturi ſunt, poſtea dicetur.

Jam videndum eſt, in quibus affectibus, aut interne aut externe, Antiquitas Medica, vel Hodierna Praxis, Cantharidum uſum comprobavere.

§. 10.

Hippocrates pro medicina introſumendā Cantharides adhibuit, ad veſicas excitandas vero earum nunquam meminit. [1] In Hydrope hoc genus medicamenti exhibuit; nam dicit, ſi Cantharidum, ablato cujuſque capite, pedibus & alis, corpora ex tribus aquæ cyathis contrita exhibueris, potionem aquæ Subter cutem Laboranti concinnabis: ubi ex epoto medicamento laboravit æger, calida perfundatur, ex oleo tamen prius inunctus, jejunus bibat, edatque panes calidos ex oleo. In Morbi Regii quadam ſpecie, ubi corpus Lividum eſt, & aliquantulum durum; venæ Subtenſæ, pallidæ vel nigræ ſunt: ſi venam Secueris pallidus vel niger effluit Sanguis; in ejuſmodi

 caſu,

1. *De rat: Viet: in morb: acut: ſect:* 4. 2. *De Intern: affer. ſect:* 4.

casu, ad diem septimum si accesserit medicus, Cantharides, sine alis & capitibus, numero quatuor, ex vini albi Hemina dimidia dilutas, exhibere jubet. [1] Areteus has cuti capitis affricari, ad ulcera inurenda, præscribit; item in Epilepsiæ tractatione, utendas suadet, monetque ut triduo ante, lacti assuescat æger ne vesicam lædant Cantharides: eandem in hoc morbo ut & nervorum Resolutione curandis, methodum tenuit, [2] Archigenes. [3] Galenus, muscas has, cum idoneis ceratis commixtas, commendat ad Ungues Psorodeis educendos, ad scabiem, ad Lepram, & iis qui clavos, quos vocant, ejiciunt, denique ad urinam movendam. Qui, Galenum consecuti sunt Græci, earum usum vix unquam recordantur. Arabes nunquam Vesicantibus utebantur, nisi ad excitandos soporosos & à morbo frigefactos, referente Oribatio. [4] Apud Latinos, nullo in pretio fuere, si conjicere liceat ex Celso [5] qui alias quam in Papulis detergendis cantharides, sive scarabæos, non laudat. Ad Lepras & Lichenas valere scribit Plinius. Pro veneno aliquando utebantur teste Ovidio;

Utque nepos dicti nostro modo carmine Regis.
Cantharidum succos dante parente bibas.

[6] Hinc Cantharidum usus apud Veteres perrarus admodum & ad Chyrurgicos effectus destinatus videtur.

§. 11.

Qui consecuti sunt in Medicina Authores, in diversas longe Sententias de earum usu, abiêre. Fernelius [7] in Cæcitate & [8] Hydrope præcepit, monens tamen prudenter esse adhibendas. Hollerius ad Lethargum excutiendum eas commendat; [9] Duretus, qui Scriptis ejus Adversiaria attexuit, hoc Medicamentum respuit, quod hic morbus sæpe cum febre conjunctus sit. Ad Coxarios, Hemicranicos, Cephalgicos; ad repurganda viscera, sexcentaque vitia contumacia & vetusta percuranda, eas commendat Hollerius. [10]

§. 12.

1 *Curat. diutur. morb. lib.* 1. *pag.* 4.
2 *Ætius in Tetrab.* 11. *Serm.* 2. 28. & 50. *pag.*
3 *De simpl. medicam. facult. lib.* 11. 4 *De usu Vesicantium.*
5 *Lib.* 5. *cap.* 25. 6 *Lib.* 29. 7 *Cons.* 12. 8 *Cons.* 34.
9 *Edit.* 1577. *pag.* 31. 10 *Inst. chyrur. lib.* 3. *cap.* 5.

§. 12.

Ad initium decimi ſexti ſeculi, fere ab hoc genere Auxilii, Medicinæ Scriptores, abhorruiſſe inveniemus. Etmullerus [1], in morbis, Febribus præſertim, vix hujus Medendi Methodi meminit. In Sennerti voluminibus, rarò Veſicantium occurrit mentio. In Italia cum Patavii & Venetiis acerbiſſimè Sæviret Peſtis, H. Mercurialis [2], qui morbum hunc deſcripſit, veſicantia ejuſmodi uti morbo illi, præſtantiſſima commendat. Idem poſtea, Piſauri erupit; H. Saxonia de Phænigmis hiſce, utpote ad febres Peſtilentiales curandas, optimis, diſſertationem [3] edidit: cui ſe oppoſuit Alex. Maſſarias.

Ab hoc tempore, Cantharides in uſum veniebant frequentiorem, diverſis admodum in morbis & omnino oppoſitis. In affectibus Capitis, Vertigine, Epilepſiâ & Comâ à Riverio commendantur. In Gonorrhæa virulenta & Calculo expellendo, in forma Infuſi, ſe feliciſſimo cum ſucceſſu, has applicuiſſe narrat Bartholinus: In his & innumeris aliis caſibus, Stupendos harum Muſcarum, effectus, Authores ubique prædicant.

§. 13.

Hodierni nonnulli, Cantharidum virtutes & vires longè latius patere, & in Febribus præcipue omnibus que in morbis accutiſſimè Inflammatoriis, omni tempore & ubi vita quàm maximè periclitetur, tutiſſimè adhiberi poſſe, & ex inde ejuſmodi morborum omnem curationem hauriendam eſſe, contendunt. Hanc Sententiam pro virili tűetur, [4] Vir in Medicina Clariſſimus D. Friend. Rationem, quare Cantharides in hiſce morbis tam egregiè profuturæ ſint, non poſitam eſſe vult in eo, quod aut Irritent, aut Evacuant, aut Revellant; ſed ex vi quadam mirifica, quâ ſanguinem & reliquos humores attenuant & reſolvunt, hæc omnia proficiſci.

§. 14.

1 *Comment. in Schroëd. de compoſſ. medic.* 2 *Lib.* 6. *p.* 8. *cap.* 26.
3 *De Peſte. cap.* 26. 4 *De Phœnigmis.* 5 *Cent.* 4. *pag.* 346.
6 *De Morb. Popular. Hip. cap. de Veſicat.*

§. 14.

Hanc rem nullis certis experimentis assecutus est vir Clarissimus, nec aliter probavit, quam ex eo quod dicit Cantharides internè datas, cursum sanguinis incitare & obstructiones expedire. Hoc minimè pro Argumento assignari potest, nisi prius demonstrasset, sanguinis cursum nunquam posse accelarari, nisi ante humores attenuerentur. De stimuli vi quâ hæc agunt, neglexit aliquid dicere, & de effectibus inde proventuris, utpote vix considerationem merentibus, haud meminit; vel potius ex consulto prætèrivit, quia minime ex inde febrem tollere potuerat. Evacuationem seri, Lymphæ, &c. pro nihilo habet, neque mutationes in febribus inde oriundas consideravit; & sudores quos Cantharides semper excitare contendit, ad morbos febriles, nisi Pestem excipiamus, curandos minime valere, videntur; nam liquidissimas sanguinis partes eliciunt, reliquæ ergo incrassantur & febriles obstructiones magis obstinatæ fiunt. Si Vir Eruditissimus omnes hos effectus pensitasset & cum vi illa mira attenuandi, quam muscis his attribuit, comparasset, illos à stimulo, seri & sudorum evacuatione provenientes, longe sensibiliores esse reperisset.

[1] In Commentario de Purgatione, historiam dedit effectûs hujus medicamenti, in Variolis & Febre Erysipelatosa; quam si quis consulet, illud minime auxilio esse in his & ejusmodi affectibus, sibi persuasum habeat.

§. 15.

[2] Willisius, Cantharidum virtutes in eo, positas esse vult, quod earum particulæ salino-volatiles, in humores & partes solidas agunt, spiritus irritent ac in fibrarum spasmos adigunt, fundunt humores; partem aquosam, particulis acribus & venenatis imbutam, à reliquo latice quaquaversus rejiciunt, aut per urinæ vias eliminant, aut per Diaphoresin;

Et

1 *De morb. Popul. Hipp.*
2 *Pharmaceu. Rat. Part. 2. cap. de Vesicatoriis.*

Et præterea cum partim è cutis Poris & Glandulis, & partim ex Arteriolarum osculis, partimque è fibrarum nervearum finibus, per vesicatoria Extillant humores; hinc quoties in partibus cutaneis humor Serosus, acris, salsus, pertinaciter adhæret, hunc per vesicantia ejusmodi, optima educendi est via; in morbis omnibus, ab colluvie serosa, viscida, &c. provenientibus, & aliquam partem corporis, infestantibus; hoc medicinæ genus feliciſſime applicari poſſe, pronunciat.

At respectu Sanguinis, à materia Heterogenea ac morbifica infarcti; ut in Febribus malignis, putridis omnibus, & judicatu difficillimis, bene se eas adhibuiſſe aſſerit, hac de causa, quia Cantharides, per Sudores aut urinam, particulas acres, & venenatas, partibus Aquosis Sanguinis, adhærescentes, eliminant.

§. 16.

[1] Clariſſimus Cockburn Cantharidum Emplastra cervici apposita, ut Specifica remedia ad Febrem, deliria &c. Symptomata in morbis acutis, tollenda, pro rato habet, & illarum Agendi vias se mechanicè explicatum iri Autumat. Quærit, annon Cantharides in se continent particulas adeo volatiles, & exiles ut per cutim facile penetrare poſſint, & cum humoribus permisceantur. 2°. Annon Fluida corporis habent partes adeo subtiles, ut per foramina quæ Cantharidum particulas admittunt, viam offendant, quâ extrà transmitti poſſint. Hisce postulatis sibi conceſſis; quærit annon cum Cantharides, Nuchæ apponentur, earum particulæ volatiles & erodentes, Nervum Octavi Paris, (qui hisce partibus prospicit) vellicare & vulnerare poſſunt, unde Spirituum Animalium effusio & extravasatio fiant; sed cum nervus cordis contractioni inserviens, omni suo Spiritu quo nervi omnes agunt, orbatus est, antequam ad Cor attingat; neceſſarium habet id in contractionem suam tardius venire, Pulsus minus frequentes, & æquabiliores fieri; febrem, deliria, &c. Symptomata inde pendentia ceſſare.

B Hæc

1. *Act. Londin. Compend. Vol.* 3. *p.* 266.

Hæc Hypothesis infinitis adeo premitur difficultatibus, ut refutatio sufficiens est semel ejus meminisse.

§. 17.

Sydenhamius, in Medicina Expertissimus, Vesicantium non frequentem facit mentionem, tamen in Febribus populariter grassantibus, annis 1674. 79. 85. Epispastica satis larga cervici apponi jubet: idque ut dicit, ea ratione, ut materia febrilis cerebrum petens, crutiatu & fervore vehementibus, quos parti, cui imponuntur, hæc solent imprimere, in locum affectum, corrivatur.

§. 18.

Vix intellectu facile est, quomodo profutura sit hæc humorum Revulsio, & talium quidem, si sensibus credendum est, qui omnium sunt fluidissimi & mobilissimi, quique si Caput peterent, minimum mali allaturos esse videntur.

Vir Egregius verum, cum hisce Epispasticis, diætam refrigerantem, Potiones lenitivas, Missionem Sanguinis, Clysteres, cum abstinentiâ a Cardiacis severissimâ, præscripsit. Hinc ab medicamentis hisce contrariis virtutibus præditis, unà applicatis, non mirum videtur, si Epispastica hæc in melius cessisse apparuêrunt. In curando Ægro hacce Febre correpto, Anno Scil. 74. nulla Epispastica adhibuit, sed solúm Missionem Sanguinis & Clysteres lenitivos. Ex dictis concludere possimus, non æquum esse, quemlibet effectum medicamento aascribere, nisi ab experimentis ritè institutis, confirmetur: Quod non est tam facile exploratu; nam remedium debet solitariè in corpus iri ingestum; neque alia exhibenda sunt antequam effectum suum aut edere possit, aut solet, & denique in iisdem morbi conditionibus, ut quàm accuratè fieri queat. Si omnes hæ conditiones observentur, reverà dici potest tale Medicinæ genus, certo morbo vel convenire vel discrepare. Ast. in morbis omnibus infinitæ variationes obtinere queant, in sensus tamen minimè incurrentes, quæ idem Auxilii genus, quoad effe-

effectus suos, penitus permutare valeant. Ad hasce, nulla præscribendi forma; aut medendi methodus, erui possint Hinc fit quod Cantharides in Febribus & ejusmodi morbis, auxilio fuisse dicuntur; cum forte fortuna accidisset potius, quàm ex Intellectu Medici; nam nisi ex Symptomatibus apparentibus, certum Medicamentum, utpote quod in iisdem conditionibus proficuum esse, experientia Sciemus, indicetur; id alias adhibere, est sorti magis quam rationi & experientiæ Medendi methodum, committere. Et an in Febribus ardentibus, &c. vulgo occurrunt aliquæ Symptomata, quæ Cantharidum usum indicant, serio dubitemus.

§. 19.

Consideratis, jam Eorum Sententiis, qui Muscas has in Febribus, & acutissimis Affectibus, celebrant, videndum est, quibus rationibus aut Experimentis, suffulti sunt, ii qui contrariam tuentur Opinionem.

§. 20.

Clarissimus Baglivius, ex veterum Monumentis, suisque observatis quàm accuratè institutis adductus, hanc Sententiam, amplexus est. In Venas Canum, Tincturam Cantharidum injecit; hinc, Sitis vehemens, vomitus Aquosæ materiæ, & Salivæ ex ore dejectio, & convulsiones & mors supervenerunt. In apertis cadaveribus, Sanguis fluidus satis, sed dissolutus erat & in superficie oleum innatans habuerat; in Corde Polypi, & Bilis nigra apparebant; at quod omnium præcipue notabat, Caput citius affici quam reliquæ partes. Nam statim ab injecta Tinctura, nutabant & titubabant, nec pedum erant omnino compotes

Historiam unam & alteram adjunxit applicationis vesicantium in morbis scil. Pleuritide post morbum Venereum; in Convulsionibus mandibulæ & Abdominis; ut & in Muliere post partum Tensionibus Ventris laborante; in quibus, Cantharides, tremores carnium, Motus Epilepticos, & Pulsum & Re-

ſpirationem inæqualem & difficilem; ſudores glutinoſos & acidum olentes, & denique extremorum refrigerationes, produxiſſe videbat.

§. 21.

Diverſas Annorum conſtitutiones, cantharidum effectis mirifice variare, obſervabat; nam iis annis, quibus, poſt hyemem frigidiſſimam & nivoſam, ſuccedit vernum tempus pluvioſum & nebuloſum, ulcera à veſicantibus his facta facile gangræneſcere, & vix curationem admittere comprobavit, nec non in certis corporis temperiebus, uti in Cachecticis, Hydropicis, atrobiloſis, Lue Venerea laborantibus, ea peſſima producere Symptomata animadvertebat.

§. 22.

Idem Author Pulveris Cantharidum ℈i. cum ℥iv. Sànguinis permiſcebat, quem prius coagulare comperuit, quam eadem quantitas ſi ſibi ſit commiſſa. Idem experimentum inſtituit in Serum Sanguinis, quod liquidius evaſiſſe & poſtea vix Coagulum ſuſcepiſſe, inveniebat. Ex quibus Sequetur, ſi humores corporis inter ſe permiſcentur, ut in primo experimento & in nobis obtinet; pulverem hunc minimè ſolvere, ſed potius fluida coagulare.

§. 23.

In omnibus Capitis vulneribus, Veſicantia ejuſmodi in pejus ceſſiſſe, Convulſiones Sudores frigidos, & ipſius Sanguinis eruptionem, effeciſſe, advertebat idem Vir Celeberrimus. In omni Suſpitione Convulſionis ab acri Sanguinis conſtitutione, in corpore gracili ab Venere inſolita, aut Lue Venerea; æſtate calidâ, ætate Juvenili, affectibus Nervoſis, tum febre & Comate; in morbis Pectoris Spaſmodicis, Inflammatoriis ab Sanguinis acri indole, Veſicantia hæc in deterius evaſiſſe Semper obſervabat. In Salacibus hominibus, & temperamentis aduſtis Stran-

Strangurias pessimas, pulsus obscurationem, & alvi fluentis remorationem, omnino producere, experientia multiplici, comperuit.

§. 24.

In Diathesi contrà Sanguinis crassa viscida, ubi pulsus est exilissimus; tempore hyemali, & temperie ad humidum inclinanti, habitu pingui; ut in Tussibus gravissimis cum Sputo crasso & copioso, nullum medicinæ genus, magis proficere vult. In Pleuritide, quando circa Septimum diem, magna Spirandi & expectorandi Sputi difficultas, supervenit, hæcce Vesicantia, tibiis vel cruribus admota, egregiè valere contendit Baglivius.

§. 25.

In hoc morbo ut & in omnibus Febribus cum materia, hæc & alia medicamenta caute adhibenda.

At qua demum de causa, hæc Epispastica hic proficerunt, vix intelligi potest, nisi ad crura & tibias, tumores fiant, uti observat Hippocrates, quos extra elicere, ægrum liberat; in hoc casu Cantharides hisce partibus applicatæ, cutim vulnerant, & materiam eliminant. At alias, si natura non hanc affectasset viam materiam extirpandi, Muscæ hæ appositæ coctionem morbi turbarent.

Et in Febribus universim, quando Somnolentia,[2] Sopor, Delirium, Axietas, Dyspnœa, Sitis, Tremores, Agitatio Labii Inferioris, cæteraque ejusmodi Symptomata Superveniunt; nihil usitatius est, quam Epispastica hæc applicare; sed hæc sæpè sunt signa Critica, quæ si medicamentis turbentur exinde pessima Mala proveniri necesse est; uti Vir in Medicina Egregius & Celeberrimus D. Boerhaave observat.

1. *Lib*: 2. *Progn*. 67.
2. *Boer*. *Inst*. §. 8.37.

§. 26.

Spectatis jam variis ſententiis, quas Antiquiores & Recentiores, de horum Veſicantium uſu, amplexi Sunt; hæc dixiſſe ſufficiant, pro tenuitate noſtri Supellectilis, & harum Theſium propoſita Brevitate.

FINIS.